~~(AA 1118 d n. 31 f. 112 bis 113)~~ 5

231

dicto Johanni de Alneto, et quaternum conficiendum per quemlibet magistrum araciarum ipsarum sigillandum sigillis vestris volumus destinari; transcripto ipsorum quaternorum vobis et cuilibet ipsorum magistrorum araciarum nichilominus remanente. super quibus omnibus exequendis illam curam diligenciam et vigilanciam ac sollicitudinem habeatis et haberi eciam faciatis, quod ex diligenti studio et exequcione fideli occurratis in conspectu nostro meritorum obsequiis probabiliter commendandi. et quia vos duo in solidum super custodia et procuracione predictarum marestallarum et singularum equitaturarum ipsarum statuimus, volumus et vobis expresse precipimus, quod vos ambo simul predictum officium iuxta tenorem presentis commissionis nostre exercere curetis et unus sine alio nec procuret nec inventaria confici faciat nec aliquid assignet, vel modo quolibet amministret sine presencia alterius socii sui. et si forte alterum vestrum infirmitate gravatum vel absentem de mandato nostro medio tempore esse contigerit, alter vestrum infirmus vel absens habeat aliquem loco sui, qui pro eo amministret et exerceat officium ipsum cum altero vestrum, qui presens fuerit, et quaternum consimilem pro parte absentis conficiat de omnibus, que fient per eum in absencia illius vestrum, qui absens fuerit, cum presente. volumus insuper et vobis sub obtentu gracie nostre precipimus, ut diligenter fideliter et sagaciter inquiratis per curatulos inventarios prepositos senterios et quoscumque alios, per quos possetis veritatem subtilius indagare, si preteritis temporibus fuerunt